



## **Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia**

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis  
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium  
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum  
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed  
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

Cap. V. Quinta singularis industria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)



## CAPUT V.

## Quinta singularis industria:

Loci communes soluta ac ligata orationis.

**T**Res ordines Excerptorum tribus libellis Lipsius, ut supra demonstratum, comprehendit voluit: Præmus ei, *Formule*; alter, *Ornamenta*; tertius, *Distinctio*. Ego pro his tribus libellis, *Locos communes* substitui, sed duplicatos. Primum ordinem orationi pedestri, equestri alterum assignavi. Orationem profam omnem his titulis comprehensum.

5. Singula-  
ris indu-  
stria pro  
excerptis:  
Loci com-  
munes.

1. Virtutes.
2. Vitia.
3. *Miscellæ*, doctrina, litteræ, eruditio.
4. Divitiæ, paupertas, servitus.
5. Honor, ambitus, tituli, dignitates, genus, profapia.
6. Corporis bona malaque deformitas, vires, imbecillitas, juvenilis, senilis, &c. ætas.
7. Labores, pericula, forum, judicia, causæ, lites, leges, Jura.
8. Vestes viles, pretiosæ, & quæ ad hæc.
9. Contemptus, cavilli, calumniæ, dedecus, infamia.
10. Doli, fraudes, vastramenta, simulatio, dissimulatio, audacia.
11. Artes variæ, Musica, Geometria, Pictura, &c. etiam sordidæ ac mechanicæ; item exercitationes, venatio, piscatus, aucupium.
12. Amor, odium, invidia, inimicitia.
13. Loca amœna, silvæ, fontes, viridaria, horti, diæra, porticus, ædificia.
14. Cibis, potus, disci, specula, mensæ.
15. Montes, flumina, maria, pagi, oppida, urbes, provinciæ, regiones, regna, terræ.
16. Luxus, convivia, acroamata, balnea, recreationes, lusus, voluptates.
17. Mors, morbi, funera, luctus, dolor, sepulchra, epithapia.
18. Dii, genii, sacrificia, ceremoniæ, juramenta, cultus divinus.
19. Theatrum, scænæ, gladiatores, spectacula, pugnæ, militia, bellum.
20. Tormenta, quaestiones, cruciatus, poenæ, supplicium.
21. Cælum, inferi, elementa, partes anni, sidera.
22. Tempus, numeri.
23. Fortuna secunda, adversa, nuptiæ, triumphus, pompæ.
24. Statuæ, colossi, arcus, trophæa.
25. Populorum varii ritus.
26. Formulæ loquendi, laus, commendatio, vituperatio, execratio, gratiarum actio, &c.
27. Miscellæ.

Cur his titulis ad-  
jungitur  
Miscellæ  
titulus.

Miscellæ eo sine adjunxi, ut si quid forsitan occurrat, quod in nullam priorum classium videatur commodè referri posse, ad hanc ultimam, *Miscellæ*, duceretur, ne quid usquam notatu dignum hospitio excludatur. Hos ipsos communes locos, quos orationi soluta, eosdem etiam ligata attribui, Vis hujus industriæ paradigma? E viginti septem locis communibus, unicum nec totum exhibebo, sed qui ad avi nostri mores sit. Ingens hac tempestate titulorum insolentia est, & confusio. Incrementis illi mirandis augent. Jam etiam imi subbellii viros, & strenuos, & nobiles, ac prænobiles, illustres, perillustres, gratiosos compellamus. Quod demum altitudinis pettingent? Bernardi avo licebat dicere: *Domine Papa*. Tu jam de ceteris conjecta. Sed ad lineam. E locis communibus en tibi quintum.

A

5.

Honor, Ambitus, Tituli, &amp;c.

*Honorum insignia*. Dona ampla data, quæ ferrent regi; vasa aurea, argenteaque; toga purpurea, & palmata tunica cum eburneo scipione, & toga prætexta cum curuli sellâ, &c. Livius l. 31.

*Honorum gradus*. Jam minora sperni, nec per honorum gradus documentum sui dantes nobiles homines tendere ad consularum, sed transcendendo media, summa imis continuare. Livius lib. 32.

*Honoris avidi*. Proventur nunc cujuslibet gloriæ cupidi, qui ex desertis montibus, myoparonumque piraticis rostris\*, laudis inopes, laureæ ramulos festinabundâ manu decerpserunt†. Valer. Max. l. 2. c. 8. med.

*Honoris fuga*. Adrianus Cæsar, cum triumphum ei senatus, & iterum postea, distulit, quod hoc nomen Augustus serò meruisset. Idem, titulos in operibus non amavit, & cum opera ubique infinita fecisset, numquam se, nisi in Trajani patris templo, nomen suum scripsit. Ælius Spartianus in Adriano, mihi pag. 5. & seqq.

Saturninus declinando imperio: Nescitis amici, ait, quid mali sit, imperare. Gladii & tela noctis cervicibus impendent; imminet hastæ undique, undique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non eibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Adde, quod omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quisquam? Inhabilis videret; sin minus, inest furor. Nam, quod imperatore me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis, sed habeo solatium mortis: solus perire non potero. Flavius Vopiscus, mihi pag. 362.

*Maximus honor, manibus portari*. Alexander Severus Imperat. post Atraxerem Persicum regem devictum, jam palatium Romæ conscensurus, levabatur manibus omnium, vixque illi per horas quatuor ambulare permissum est, undique omnibus clamantibus: Salva Roma, quia salvus est Alexander. Ælius Lampridius, mihi pag. 201. Ubi plures ejuscemodi honorificentissimas acclamationes vide.

*Tituli negati*. Darius Persarum rex ad Alexandrum litteras dedit, quibus ut superbè scriptis vehementer offensus est Alexander. Præcipue eum movit, quod Darius sibi regis titulum, nec eundem Alexandri nomini adscripserat. Contra Alexander in hunc maxime modum rescripsit: Et vincere & consulere victis scio. De cetero, cum mihi scriberes, memento non solum regi te, sed etiam tuo scribere. Curtius lib. 4. c. 1. mihi p. 65.

*Tituli vanissimi*, Regis Bithagenis: Sponsus bonæ fortis, magnarum provinciarum Deus, regum potentissimorum Rex, omnium equitatum Dominus, Magister & Doctor loqui nescientium, trium Imperatorum Imperator, omnium, quæ videt, Conquisitor, conquistorum Conservator, quem octo mundi partes metuunt & formidant; exercituum Mahumeticorum Destructor, omnium provinciarum, quas subegit, Dominus, Eques, cui nemo par, & fortissimorum quorumque Debellator, &c. &c. Face opus ad hunc titulum, adeo longum. Plura subnectit Petrus Jarricus, tom. 1. de rebus Indicis, lib. 2. c. 20. mihi pag. 653. Ita Sapor Persarum rex ad Constantinum Imper. epistolam dedit, quam sic exorsus est: Rex regum Sapor, particeps Siderrum, frater Solis & Lunæ, Constantino fratri meo salutem plurimam dico. In objurgandâ titulorum vanitate hunc facile diem possim sepelire, si solas modò has notas meas consulam.

Sed



Sed factis est paradigmatis; nil addo. Innumera talia in hōse, quos dixi, communes locos digessi. Tu jam & meam methodem, & puto illius usum cernis; ut sequaris, nec impero, nec veto. Ingentia meliora, idēque superbiōra, da veniam verbo, ductrices manus facile aspernantur. Natate volunt, sed suo cortice. Nihil hoc contra me. Ego nihilominus sine meo potior, dum ingenue ostendo, unde me putem aliquid in litteris promovisse. Sed addo hīc brevissimum orationis etiam ligatæ paradigmation. Sumamus geminum priori.

Honor, Ambitus, Tituli, &c.

Honor, occasio ruinæ.

Quid Crassus, quid Pompeius evertit? & illum Ad sua qui domitos deduxit? flagra Quiritis? Summus nempe locus nullā non arte petitus, Magnaque nummibus vota exaudita malignis.

Gloriæ miserabilis cupiditas.

Bellorum exuvie, truncis affixa tropæis  
Loricæ, & scutæ de casside buccula pendens,  
Et curtum temone jugum, vitæque, trivremis  
Aplustre, & summo tristis captivus in arcu  
Humanis majora bonis creduntur: ad hoc se  
Romanus Grausque ac Barbarus induperator  
Erexit: caussas discriminis atque laboris  
Inde habuit: Tandem major fama sitis est, quam  
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam  
Gloria si tollas? patriam tamen obruit olim  
Gloria paucorum, & laudis tituliq; cupido  
Hæsi saxis cinerum custodibus.

Deus immortalis haberi

Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ænam  
Influit a.

Honorum sterilis vanitas.

Expende Hannibalem, quorū libras in duce summo  
Invenies? hic est quem non capit Africa Mauro  
Percussa Oceano, Nilōque admota repenti.  
Exitus ergo quis est? ô gloria! vincitur idem  
Nempe, & in exilium præcepit fugit, atque ibi magnus  
Mirandūque cliens sedet ad prætoris regis,  
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.  
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,  
Non gladii, non saxa dabunt, nec tela, sed ille  
Cannarium vindex, & tanti sanguinis ultor  
Annulus c. I demens, & savas curre per Alpes,  
Vt pueris placeas, & declamatio suas d.

Hos ego locos communes, tam augendæ rerum sup-  
pellectili, quam ornando stylo hætenus adhibendos  
censui. FAVST. Liceat hic interfari. Quæso te, Eulogi,  
quomodo tam multa, tam varia legendo potuisti tua  
facere? nam præter triplicem illam, imò tibi septupli-  
cem classem Lemmatum, Adversariorum, Historico-  
rum, tot insuper Industrias, tot Communes locos addi-  
disti, tot arculas, tot cistulas Excerptis implevisti. Infi-  
niti res laboris est. EULOG. Addidisses: Et quem plerū-  
que omnes fugimus. Vide, mi juvenis, annus trecentos  
sexaginta quinque dies, horarum octo millia, septin-  
gentas, sexaginta completitur: qui esse vult frugi, &  
temporis parcus, plurimum leget, multum excerpset, vel  
anno unico, qui pæne novem millia horarum submini-  
strat. Quod si cæptus labor constanter annis decem,  
aut viginti, aut etiam triginta perpetueret, incredibile  
dictū est, quantum literariæ hujuscemodi supellectilis  
congeratur. Tu hoc age, nullam diem, imò horam nul-  
lam sine lineâ transmittite, & brevi tuas ipse divitias mi-  
raberis. Lentissimè graditur testudo, sed si gradiatur  
assidue, itinera etiam bene longa conficit. Assiduitas  
operis, Ingens lucrum temporis. FAVST. Sed hætenus  
à te dicta, Eulogi, pleraque omnia Rem excerpendam

A spectant. Quid de Verbis ac Sententiis agendum cen-  
ses? Expecto avidè doceri. EULOG. Hoc paucissimis  
expediam: ne multas hīc præceptiones somnia. Uni-  
cam dabo.

C A P U T V I.

Sexta singularis industria:

Verborum & sententiarum excerpta.

EULOG. Non ita pridem apud amicorum aliquem  
vidi, nec sine risu, grandes tomos verbis & phra-  
sibus excerpendis destinatos. Plus ii habebat chartæ  
quàm scripturæ. Ad instruendam dictionem, verba me-  
liorum auctorum neutiquam negligenda; enotandæ se-  
culè phrasæ, sententiæ, loquendi modi, & quidquid  
ad ornatum dictionis pertinet. Neque hīc quidquam  
spernendum: opus tamen ut in aliis, iudicio. Ego hac in  
re ita censeo. Verba rariora, imò & vetustiora, lectio-  
res sententiæ, venustiores, loquendi modi, & quidquid  
ornandæ dictioni facit, gnaviter est enotandum hoc  
modo, ut unius auctoris verba & phrasæ in eadem  
chartas excerpantur; simul sint, quæ ab uno sunt aucto-  
re. Neque hīc ordinis ratio haberi potest: quæ lectori  
prius occurrunt, prius in notas veniant. Fās indicem ad-  
jungere nimis quàm operosum; imò pæne negem fieri  
posse. Vicem Indicis erit, suis temporibus sic notata re-  
legere acuendo stylo. Hæc eadem ferè tradens Lipsius: Lipsius in  
Phrasæ, inquit, enotari velim, quacumque insigniores aut ni-  
tidiore occurrent. Verba quacumque rara, nova, aut novo  
sensu, sive flexu usurpata. In phrasibus dispositionem non video;  
nisi quod seorsim eas poni velim, pro discrimine scriptorum:  
Tullii solas, Plauti & Terentii solas, historicorum solas: quod  
quisque pro iudicio suo aut industria facito. Rem oculis sub-  
jicio. Fortè aliquem legis è Livii libris? Hunc ergo titu-  
lum præfige chartæ.

E Livii lib. 6.

Tot super alia aliis bellis.  
Fortuna in præcipitem locum favore tollit, deinde in ipso  
discrimine periculi desistit.  
Saginat suos ut jugulentur.  
Fortune loci delegaverunt spes suas.  
Postquam utrique apparuit nihil per alteros stare.  
Furem virgâ percuteret.  
Quæ societas, aut quæquam consortia.  
&c. &c.

E Livii lib. 7.

Celestis iræ placamina,  
Impromptus lingua.  
Annuiturum, numenque vestrum invictum Campanis.  
Vbi sententiam meam vobis peregero.  
Circa collem castellarum dispositos.  
&c. &c.

E Livii lib. 8.

Firmissimum longè imperium est, quo obedientes gaudent.  
Consulere in victos crudeliter.  
Vt ferme fugiendo in media sata ruitur.  
Nihil ultra, quàm ut paniter frustra, restabat.  
Adversus quæ singula.  
Pollutâ semel militari disciplinâ non miles Centurionis,  
non Centurio tribuni, non tribunus legari, non legatus  
Consulis, non magister equitum dictatoris pareat impe-  
rio, nemo hominum, nemo Deorum habeat verecun-  
diam; vagi milites in pacato, in hostico errent, imme-  
mores sacramenti.  
Tribuni quoque inclinatam rem in preces subsecuti orare  
dictatorem insistant.  
Incuriosè factum.  
Dictatoris edictum pro numine semper observatum.  
Manliana imperia.  
&c. &c.

E Livii